HENRICI BOOM
ORATIO,
DE
ORIGINE ET FINE
POËSEOS DRAMATICÆ.


HABITA IN CHORO TEMPLI NOVI,

Prid. Non. Aprilis, MDCCXXXVIII.



AMSTELÆDAMI,

Apud JOANNEM BOOM. 1738.



ORATIO,

DE

ORIGINE ET FINE POËSEOS DRAMATICÆ.



On ea eſt, A. P. Scientiarum, quibus juventus ad humanitatem conformari ſolet, indoles, ut in iis verſantibus nunquam liceat ſeriis miſcere nugas; quoniam, ut neſcio quis recte dixit, & labor mutatus haud raro quietis vicem præbuerit, & cuncta, quæ pro nugis habeantur a quibusdam, propterea re ipſa, ſi probe conſideres, nugæ non ſint. Quæ ab humanitate nomen nactæ ſunt ſcientiæ, veluti quodam vinculo aliæ aliis adhærent, nec cuiquam, perito maxime laudatarum, licet plane eſſe imperito aliarum, quæ, licet minus laudatæ, verſantur tamen in rebus haud valde diverſis.

Et me quidem, ut in dicendi initio de me pauca dicam, haud raro juvit ad amœna ſtudiorum vireta divertere, quietisque loco tractare levioris qui-

quidem momenti ſcientias, verumtamen minime vituperandas. Quam autem nunc paulo diligentius perſequar materiam, ea vobis omnibus oſtendet, puto, me quidem, quod dixi, ſubinde delectari nugis, verum nugis ejusmodi, quæ ducunt in ſeria. Dicturus enim ſum de Origine & Fine Poëſeos Dramaticæ; quod me facientem qui audiverint animis benevolentibus & linguis faventibus, oratione finita certius judicabunt, an operæ pretium fecerim, quam ſi meum nihil tale merentis ſermonem non auditum, veluti præjudicatâ opinione, condemnent. Quid enim? ſi Poëſis omnis, inter humani ingenii conatus eximios jam antiquiſſimis temporibus & habita & numerata, omnino damnanda ſit, non dubium eſt, quin una condemnetur Dramatica; ſin autem, una cum eâ hæc locum tueatur ſuum neceſſe eſt.

Vetuſtiſſimis gentibus hymnos decantare in honorem Bacchi, Apollinis, Cereris, Dianæ, & aliorum Deorum Dearumve, morem fuiſſe inter omnes conſtat, præſertim multis ejusdem pagi incolis ſimul ſacra facientibus, & pro acceptis beneficiis gratias Diis agentibus. Nec ſacra iſta ab triſtibus hominibus peracta fuiſſe, æque conſtat. Hinc hilaritas, hinc joci, hinc convivia in ſacris. Neque Dramaticæ poëſeos alia eſt origo. Præter hymnos enim, feſtivitate ruſticos ad hilaritatem invitante, legimus

car-

carmina varii generis in conventibus iſtis decantata fuiſſe, interdum non valde ſacris convenientia quidem, ſed qualia ab ebria turba eructari ſolent, & tamen carmina.

Ab iſtis initiis, A. O. crevit Poëſis Dramatica, ut rerum praeſtantium origines ſæpe debentur caſui fortuito. Quod unus cantabat initio, poſtea plures cantaverunt, aut ſimul, aut viciſſim; aliis reſpondentibus, cum alii cantu præiiſſent. Inde Chori, inde Perſonarum in Dramatis origo. Cum vero homines ingenio præſtanti, quibusque virtutis & morum ſtudium cordi eſſet, intelligerent inconditos iſtos cantus, carmina iſta laſciva, ad communem omnium utilitatem artificioſe converti poſſe, in eo cœperunt exercere induſtriam ſuam, & quod ſibi propoſuerant, labore non levi nec parvo tempore, obtinuerunt.

Primus ſane, aut inter primos, qui perſonarum colloquia ficta carmine inſtituit, dicitur fuiſſe Theſpis quidam Icarienſis Atticus, Soloni, Legislatori prudentiſſimo, ætate par, & pene æqualis. Et ille quidem tragœdias reperiſſe fertur; ut veteris comœdiæ pater Eupolis dicitur.

Nec tamen, ut quod ſentiam apertê dicam, omnis Dramatis origo videtur mihi a ſacris arceſſenda, quum a veritate non videatur abhorrere, Poëtarum aliorum, præſertim epicorum, ſtudio rem

Dramaticam admodum adjutam atque illustratam esse, sine ulla sacrorum occasione aut solennitate.

Homerum, Poëtarum apud Græcos patrem, e cujus scriptis, tanquam ex perenni fonte, vates multi sua hauserunt, omnes norunt, qui plane Musas non ignorant. Apud illum Jovis, Junonis, Agamemnonis, Nestoris, & quorum non deorum heroumve? orationes elegantissimæ occurrunt. Ex illis & Homerus ipse dum vixit, & post eum Rhapsodi, in conventibus recitabant, quas cuique esset libitum orationes: quæ res adeo Græcis placuisse videtur, ut apud quosdam vel legibus fuerit cautum, ut in festis publicis ex laudatissimis patris Poëtarum operibus particula, quae maxime adlubesceret civibus, recitaretur. Illos Rhapsodos, carmina decantantes aliorum, primus in theatrum produxit Demetrius, cui Phalereo cognomen fuit. Recitabant isti, virgam lauream manu tenentes, sedata voce, & ad rem composita, carmina ad fortitudinem, temperantiam, fidem, aliasque virtutes innumeras, auditores excitantia: nec Homeri carmina tantum decantata fuisse in theatris legimus, sed etiam Hesiodi, Archilochi, Mimnermi, Phocylidis, aliorumve, quorum scriptis præcepta vitæ idonea contineri, & veteres putaverunt, & hodie omnis eruditorum chorus ultro agnoscit.

Tum

Tum vero ingens augmentum cœpit Poësis Dramatica singulari industria & labore Æschyli, quem vel ideo veteres videntur Tragœdiæ primum auctorem statuisse, quod primus theatro apta conscripserit, quum ante se theatris tantum nihil pene scriptum fuerit. Cujus viri laudes quid prædicem? Septem ab eo conscriptæ tragœdiæ supersunt, æterna nominis illustrissimi monumenta. Nihil ibi lascivum; nulla præcepta, nisi ad severæ virtutis normam exacta; nihil quod Deorum reverentiam tangat aut lædat. Quid memorabo Sophoclem, quid Euripidem, quid alios, quorum nomina adhuc summo in honore sunt apud eruditos? Illis heroicorum temporum res benignam ad Dramata materiam præbuerunt, plane ut Poëtæ epici inde plerumque sibi carminum materiam aut sumpsere aut finxere.

Non video, quid eo usque in Tragœdiis sit culpandum, nisi forte quod non raro furoris & immanitatis in iis supersint exempla horrenda. Verum, quid aliud Poëtæ, exhibituri Thebanorum aut Argivorum res vetustissimas, in scenam producere potuerunt, quum istorum populorum rebus gestis, nimia crudelitate infamibus, eorum cives maxime delectarentur.

Quam vellem, A. P. ut & comicorum Fabulæ, ut Mimi, aliive ludi Scenici, eodem jure possent

de-

defendi! Quod ſi plures Græcorum comœdias a temporum iniquitate integras ſervaſſet ſuperiorum ſeculorum diligentia, non dubito, quin etiam earum utilitas ſumma agnoſceretur, & quantum profuerint ad vitam formandam, moresque erudiendos conſtaret inter omnes. Scilicet Græci, cum viderent in Tragœdiis regum vitia, & ſortem haud undique felicem, libenter a populo ſpectari, cœperunt eorum Poëtæ etiam privata civium ſuorum vitia & mores malos in ſcenam producere, ut & ſpectatores diſcerent, fœda inceptu etiam fœda exitu eſſe, atque vitanda; & cives potentiores intelligerent, ſi quid peccarent, non defuturos, qui illorum peccata in lucem publicam protraherent; quod Epicharmus Siculus primus feciſſe legitur. Verum, ut nihil, quantumvis bonum, eſt, quin mutando poſſit depravari, ita comici, ut auram popularem captarent, verba prætextata & turpia admiſcere cœperunt, dolentibus omnibus bonis, ipſisque adeo Muſis.

Ariſtophanis comœdiæ ſuperſunt undecim, quæ propter Atticum dicendi genus ab eruditis diliguntur, bonis æque omnes non placent, propter ſcurrilitatem & ſermonem adeo diſſolutum, ut e medio ſceleſtæ plebis ſermone dictionem ſumpſiſſe, atque in ſcenam transtuliſſe nonnunquam videatur. Eupolis atque Cratinus ante Ariſtophanem jam fabulas

bulas dederant discendas, nunc vero perditas; nec earum jacturam quod bonus quisquam doleat, caussam ullam subesse puto, quum comœdiæ, quam vocant, veteris scriptores, Aristophani non dissimiles, ad argumentum si spectes, fuisse videantur: & ipse Eupolis nimiam in dicendo libertatem morte luerit.

Prudentius egerunt secuti apud Græcos novæ comœdiæ auctores, inter quos Menander omnium judicio summam laudem meruit; quod fictis luserint fabulis, & omnes ingenii atque artis nervos intenderint ad spectatores emendandos, in exemplum criminibus pœnas, virtutibus præmia tribuentes.

Perierunt pleræque, A. O. perierunt malo fato Menandri fabulæ lepidissimæ, quas quanti fecerit Quintilianus, summus dicendi magister, vel ex testimonio, quod in illius Institutionibus invenitur, satis superque patet; quum vel unum illum dicat omnem vitæ imaginem expressisse, tantamque in eo inveniendi copiam & eloquendi facultatem fuisse, ut vel unus sufficiat ad eloquentiam omnibus numeris perfectam adspiranti.

A Græcis ad Romanos si mea sese conferat oratio, præsertim ad Terentium, unicum scenæ apud eos decus, & qui adhuc in scholis tanquam exemplar sermonis castigati juventuti imitandus proponitur, a cujus fabulis mores mali exulant, magis elucebit, quantus fuerit Menander, quod ipse ille

Cæſar, qui quo animo bella geſſit, eodem etiam ſcripſit, honorifico carmine Terentium ſuum fuerit proſecutus, eumque ibi dimidiatum Menandrum vocaverit.

Quid plura? apud cunctas gentes viri rerum humanarum periti exſtiterunt, qui, tanquam in ſpeculum in vitam alienam ut ſui cives inſpicerent, in ſcena exhibuerunt vitæ civilis imaginem; & bello indicto vitiis, ſuperbiæ, avaritiæ, malæ fidei, adoleſcentum actionibus temerariis, iſtum ſibi finem propoſuerunt, quo iſtorum vitiorum turpitudinem publice ridendam propinantes in theatris, animos male affectos ſanarent, & errantes comiter in viam revocarent. Nec philoſophiam qui ad vitam civilem revocarunt, aut carminibus heroicis præcepta vitæ utilia ſuis dederunt civibus, alium ſibi finem propoſuerunt ac ſcriptores fabularum; quem tamen ſi neglexerint quidam, ii non amplius in numero bonorum civium ſunt habendi, ſed tanquam peſtes Reipublicæ vitandi.

Abhorrent probi omnes, abhorrent, inquam, maxime theatralium ludorum laſcivam licentiam animos adoleſcentum corrumpentem, & ipſam virtutem graviter vulnerantem. Recte turpes Mimi ſeparandi ſunt a Dramatis non minus honeſte actis quam prudenter ſcriptis. Et ſane Tertullianus, Minutius Felix, Clemens Alexandrinus, & non pauci e veteribus Eccleſiæ Doctoribus, cum ludos thea-

theatrales damnaverunt, ſuorum temporum Dramata impia, crudelia, turpia, infamia vituperaſſe cenſendi ſunt. Idque ne temere dixiſſe videar, ſinite me quædam eo facientia proferre.

Quos dixi Patres, Dramata quævis non abhorruiſſe, ex eo palam fit, quod ipſi libenter genus ſcribendi per colloquia adhibuerunt, ut nemo literas doctus ignorat. Et Dramata bonos mores tuentia quid a colloquiis bonis differant, vix video. Immo in quorumdam ſcriptis vix pagellam legas, ubi Sophocles, Euripides, Æſchylus, Menander, aliique, his non diſſimiles tragici aut comici, Poëtæ non ad partes vocentur. Et Clemente quidem Alexandrino, qui ſummo jure gentilium impura Dramata nusquam non deteſtatur, eximiorum, quos dixi, Poëtarum teſtimoniis, nemo libentius utitur. Quid? niſi temporis ratio anguſtis orationem hanc meam terminis circumſcriberet, Nazianzenum, Apollinarium utrumque, patrem ſcilicet & filium, comœdias, fabulis Menandri haud diſſimiles, docuiſſe, evincerem.

Nec, poſt diſciplinas barbarie expulſa reſtitutas, ſummi inter reformatos Theologi defuerunt, qui, veteres Theologos ſecuti, & cenſuerunt non quaevis Dramata eſſe damnanda, & qui ipſi fabulas compoſuerunt. Bezæ, at quanti viri! tragœdia, cui Abrahamus Sacrificans nomen eſt, vernacula ipſi lingua, Gallica ſcilicet, conſcripta eſt, quo tem-

pore ille Lausannæ publice literas profitebatur. Conscriptam dico? cunctis placuisse, sæpius prœlo descriptam, & ab aliis Latine versam, non ignorant qui ipsa Minerva favente conscripta Bezæ poëmata norunt. Danielem Heinsium, Hugonem Grotium, & magno numero alios, tam vernaculæ quam Latinæ Poëseos decora illustria, quorum etiam quosdam celeberrima hæc urbs fovit & amanter complexa est, tacitus prætereo, ne videar studio nimis acriter ursisse, quod nec hujus loci est, nec hujus personæ.

Non possum tamen a me impetrare, quin addam Lutherum, Calvinum, Melanchthonem, Bucerum, & alios magno numero Theologos, censuisse, Dramata, si ad mores emendandos, & vitæ civilis nævos corrigendos conscripta sint, nec quidquam contra sit adjunctum, utiliter tolerari, & spectari in Republica. Et Calvinus quidem (ne quis arguat me sine certo testimonio adfinxisse viro summo sententiam, quae ejus non fuit) quid egerit, cum Genevæ calidior quidam Theologus imprudenter pro concione in actores scenicos esset invectus, docebit legentes epistola ad Farellum, egregium itidem virum, ab ipso data, quæ typis descripta prostat inter ejus epistolas. Rem vero mihi videtur confecisse celeberrimus suo merito Andreas Rivetus, qui Theologiam in Academia Lugduno-Batava seculo superiore summa cum laude professus est, cum in commentariis ad Decalogum observarit, ad tria

ca-

capita posse revocari quidquid contra spectacula adfertur. Scilicet quod scelerum exempla in ipsis Diis gentilium non raro proponantur; quod illa partem cultus idolorum constituerint; & quod vel crudelia essent vel obscœna.

Vera sunt sine dubio, quæ dicit vir magnus; nec aliud Tertullianus aut Cyprianus, & quotquot alii in ludos theatrales invecti sint, quod culparent habuerunt. Nec aliter sentient, quotquot virtutis studium quacunque ratione promovendum esse putant; quotquot in vitam humanam, tanquam in speculum, inspiciendum suadent; & quotquot noverunt in scena utiliter ista vitia, quibus Reipublicæ ratio pœnas statuere non potest, traduci, ut spectatores ab iis avocentur. Homo aut sordide avarus, aut ingratus erga se beneficiis afficientes, aut senex amore intempestivo tenerâ ætate puellam ambiens, si in scena spectentur, rident Spectatores humanarum susceptionum stultitiam: & dum rident, ad se referre discunt quod propositum est, ut deinceps caveant, ne eadem illos vitia contaminent, quæ summo jure turpia & probrosa haberi spectaverunt.

Atque hæc quidem sunt A. P. quæ pro temporis ratione de Poësi Dramatica, ejusque fine, dicenda habui. Originem audivistis, deductam a cultu Deorum, & a Rhapsodis, publice partem aliquam heroici carminis decantantibus, quorum vestigiis alii insistentes Tragœdias, & Comœdias procuderunt,

eo fine ut aut historias, suæ quisque gentis, magnifice enarrarent, aut ut jucunda & idonea vitæ dicerent. Mimi vero, varii generis, & e Comœdis non pauci, ad risum infimæ plebis scurrilibus dictis captandum, non dubitaverunt e re, per se non mala, pessimam & nocentissimam facere; eâque ratione illi meruerunt odium bonorum omnium, qui ad unum omnes optant, ut spectacula, quæ mores juvenum, non dico corrumpere, sed vel inficere; quodammodo soleant, prohibeantur, tollantur, & radicitus exstirpentur. Utilibus autem in publicum spectaculis, juventuti interdicere, quæ invidia est? anne ut rerum humanarum ignari postea suo periculo discant cavere, quæ ibi per lusum & jocum cavere docentur? non puto: nec putabit quisquam, qui audiverit, quo fine Dramata sint reperta; quid & Patres, quos vocant, censuerint; quid Theologi summi, postquam suus veritati splendor assertus fuit, præ se tulerint; quidque summa eruditione homines post literas renatas fecerint.

Hominum sane prudentum est, ut apes floriferæ omnia in saltibus libant, e dictis ac factis aureis, quæ in Dramatis exhibentur, itidem decerpere, quæ in utilitatem vitæ redundabunt; profana vero, aut quacunque ratione noxia, aut latens aliquod venenum habentia, longe longeque a se arcere, & quantum potest abominari.

GRA-

GRATIARUM ACTIO.

QUOD mî, *Scholarum nomine, gratias*
Vobis licet nunc dicere, CONSULES,
Gratum est, satis digne quam si
Pro meritis celebrare laudes.

Vos, quæ benigno Numine percita
Terrena spernens scandit in æthera,
Præstans juventus dicit alta
Voce Scholæ Patriæque Patres.

Vestros honores prædicat Amstela;
Nec sola: plaudens cum sonet undique,
Virtutibus commota tantis
Patria nobilium virorum.

Musis favetis. Sic quoque literas
Virtutis altæ participes facit
Idem favor, qui multa præbet
Præmia, Pierisin benignus.

Grati parentes, quod juvenum Chorus
Agnoscit omnis, pectore prædicant
Læto, voventes ut per annos
Resque Scholæ Patriæque crescat.



VIR MAGNE, *summi qui abdita Numinis*
Arcana pandis, nos Tibi maximas
Nunc dicimus grates, parati
Pro meritis quoque habere semper.

In moribus ne deficiat vides,
Musas juventus quæ colit acriter;
Neu lapsa turpi vita culpa
Dedecoret studia atque mores.


Vivas

Vivas, precamur, laudibus & Tuis
Accedat ingens nomen ab Artibus;
Ut grata post annos juventus
Læta velit celebrare laudes.



R E C T O R *juventæ, ceu pater optimus,*
Nobis viam qui gnaviter indicas
Ad templa Musarum serena,
Mens bona quæ colere una gaudet;

Et gratias nos dicere nunc Tibi
Magnas juvaret: verum animus licet
Id suadeat gratus, Tuas nos
Ipse jubes reticere laudes.



D O C T I V I R I, *queis cura Scholastica*
Commissa gaudet, solvere queis decet
Grates perennes, Vos meretis
Perpetuas sine fine laudes.

Præcepta linguæ nos toties data
Cogunt honores tollere laudibus
Vestros; per ævum non abibunt
Ex animis benefacta nostris.



D I L E C T U S *a me, ô Juvenes, Chorus,*
Musis amœnos qui colitis dies,
Jam vos relinquo. Vos valete, &
Discite, dum sinit hora pernix.


JUBEL FEEST des AMSTELDAMSCHEN SCHOUBURGS 1738
M. LUTHER.
MONNO SIMONS.
I. CALVYN.
Des Waerelds dwaasheid als die komt van hooger hand, Waardeerd men boven goud en burgers groot verstand